

Hunc librum Musis
suis inservientem
iure possidet
Theodor Mahlmann

Comparati mihi
Witzeb.
p. mat. 12. q.
p. hinc. 4. q.
Al. Joh. Reibel.
1624.

CHRISTOLOGIAS SACRÆ

Disputatio Undecima

De

DUARUM NATU-
RARUM IN CHRISTO VE-
RA AC REALI COM-
MUNIONE.

Quam

Annunte Θεανθρωπώ

SUB PRÆSIDIO

BALTHASARIS MEISNERI

S. S. Theol. D. & P. P.

*In privato Collegio examinandam
proponit*

JOHANNES ALBERTUS Steinmüller

Augusta-Vindelicus.

*Habebitur ad diem 24. Januarij horis pome-
ridianis in auditorio minori.*

BS:(SE

WITTEBERGÆ

Ex Officina Johannis Gormanni,

ANNO CIO IOC XIX.



T H E S I S I.

Continua-
tio.

Duas in Christo naturas divinam videlicet & humanam, easq; personaliter in eodem unitas esse, haectenus ex S S. Theologia fidei Analogia & Antiquitatis harmonia breviter & perspicue demonstratum est; jam faciliiori elegantioris ordinis ratione inobscuris inditiis sic exigente harum naturarum veram ac realem communionem percurramus animo.

C A P. I.
Status Cō-
troverfiæ.

II. Vix autem ulla doctrina Christiana pars gentium cum Sacramentaria tum Romanensi magis est exosa quam haec ipsa: Et ut Simsonis vulpeculae, capitibus quidem divisae erant, caudis tamen junctissimae, sic hodie sacramentarij socias jungunt mentes Papicolis in oppugnanda salutari de naturarum in Christo hypostatica communiōe doctrina, quantumvis alias distractissimae.

Beza in
Coll. Mōp.
antith 8. 9.
Zaach, l. 2.
de Incarn.
c. 3. q. 12.
Bellarm. l.
3. de Inca-
ne. c. 8. Ba-
saus in A-
polog. th.
29. p. 43.

III. Unānīmi quippe consensu inficiantur veram ac realem naturarum communiōem; imō nonnulli eō usq; morositatis progrediuntur, ut ne verbalem quidem velint concedere, talem in cerebello suo somniantes unionem duarum in Christo naturarum, quae sit sine communiōe; quod idem, ac si solem absq; splendore, ignem absq; calore, aquam absq; humore fingerent.

IV. Quibus sanē utriq; cum rasi tum calvi insignem plane produnt malitiam, dum p. Eutichiano penitus more *κοινωνία* nil nisi unius naturae in al-

teram conversionem mutationemq³ esse statuunt, per
univocem & communionem pessime confundunt, quæ
tamen distincta sunt nec penitus permisceri debent.

V. Cæterum ut de nostra sententia tanto constet
certius neq³ diversum nostris Ecclesiis imputari queat
ab heterodoxis, perpendant velim accurate quid For-
mula Concordiæ de nostra statuatur affirmativa art.
8. p. 606.

VI. Exinde enim cuius liquidissime constabit quæ
F. C. & omnium dextre sentientium mens sit; du-
as nimirum in Christo naturas reipsa com-
municare, ita ut Deitas sit in humanitate &
humanitas in Deitate, altera in altera, neu-
tra extra alteram, neq³ tamen altera sit alte-
ra.

VII. Etsi autem hæc sententia extra omnem du-
bitationis aleam debebat esse posita, facit tamen ma-
leseriatum illud Romanensium & Sacramentario-
rum pro ea destruenda studium, ut quod per se qui-
dem satis est manifestum & ipso quasi Solis radio o-
mnium fidelium cordibus inscriptum, id evidentis-
simis argumentis affirmari necesse sit, quod in tres
dispercamus classes, quarum merito, primas tenet
infallibilis illa Fidei mensura errorum censu-
ra, cælorum cynosura Sacrosancta videlicet
Scriptura; quæ diotis maximè perspicuis & firmis
nostrum vel maximè confirmat propositum, quarum
precipua brevissimis tangemus lineolis.

CAP. IX.

Exhibens
tergemina
argumenta
pro reali
communi-
catione
naturarum
in Christo.
I. Classis
argumen-
torum scri-
pturæ dictæ
exhibens.

VIII. Per-

nia, quæ incarnationem λόγος & carnis in ὑπόστασιν λόγος assumptionem corroborant, qualia habentur Ioh. 1. 14. 1. Tim. 3. 16. Hebr. 2. 14.

IX. Quibus suffragatur classicum illud in iisq; sensibus reponendum Spiritus Sancti oraculum, Col. 2, 9. In ipso (Christo) in habitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter, quod vel maxime nostram stabilit affirmativam. Annon enim natura quæ ab altera inhabitatur, sit particeps illius cui inhabitat? cum talis inhabitatio nihil aliud sit, quàm mutua inmeatio & participatio. Quia Θεότης imò πλήρωμα Θεότητος, & quod maximum, πᾶν πλήρωμα Θεότητος in assumptâ Christi habitat humanitate; ultrò consequitur, humanam Christi naturam divinæ inhabitantis vere ac realiter factam esse participem.

X. Assensu hæc excipit suo auctor Epistola ad Hebr. dum c. 2. 14. contestatur τῷ λόγῳ naturam humanam esse communicatam, vel quod idem est, λόγον humanitatis vere, ut pueros factum esse participem.

II. Classis argumentorum rationes ex analogia fidei proponens. I. a fine incarnationis.

XI. Secundas tribuimus, illi omnium controversiarum dijudicandarum regule Fidei videlicet analogiæ, quod nostram quoq; sententiam firmissimis confirmat fundamentibus.

XII. Filius DEI factus est homo ut nos homines per διποτέλεσµα utriq; nature commune in gratiam DEI reduceret. At quomodo negatâ naturarum communione natura utraq; cum ἡνωσίου alterius salutem nostram operari potuisset? Quid, quid, inquam, incarnatione opus fuit si una natura alterius non est facta

facta particeps? Videant ergò cyclopici isti κοινωνίας
oppugnatores, quomodo hanc negatâ vel saltem in du-
bium vocatâ sacratissimum incarnationis mysterium
sartum tectum conservare velint.

XIII. Cui verè ac participative communicata est 2. à com-
infinita ὑπόστασις τῆς λόγῃ, eidem communicata munione
est divina ejusdem natura. Quia non dissidentibus ipsis hypostase-
antagonistis ὑπόστασις & natura λόγῃ re unum os.
sunt. Iam verò carni Christi communicata est ὑπό-
στασις τῆς λόγῃ, uti superius ad oculum demonstra-
tum fuit. Ergo.

XIV. Inter quas naturas est vera ὑπεχώρησις 3. à mutuâ
inter eas etiam est vera κοινωνία. Inter divinam τῆς ὑπεχώρησι
λόγῃ & humanam Christi naturam est vera ὑπε- vel pervas-
χώρησις. Ergo inter illas etiam est vera κοινωνία. sione.
Major certissima, ὑπεχώρησις quippe involvit
arctissimam naturarum presentiam. Minor à nemi-
me unionem personalem admittente in dubium vo-
cabitur. Hinc B. Patres unanimi statuunt consensu
λόγον intimè in carnem immigrasse totamq; pervas-
sisse, ut λογωθεῖσα vel verbificata à quibusdam non
minus verè quàm concinnè appelletur. Irritis proinde
& absurdis conatibus communionem naturarum di-
vellere student adversarij.

XV. Quaecunq; intimo & arctissimo unionis modo 4. ab unio-
unita sunt, ita quidem ut ex ijs unum sit constitutum nis verè at-
incommunicabile ὑπόστασιν, inter illa vera & re- Etatq; na-
alis orta est communio. Divina τῆς λόγῃ & humana tura.
Christi natura. E. Major omni ambiguitate subli-
mior.

mior. Minor nec à Calvinicòlis nec Sacrificulis inficiabitur. Verum ergo quod consequitur.

¶ ab assum-
tae carnis
Ἰησοῦ & λό-
γῳ ἐνωσερῶ-
ντα
XVI. Humana natura dicitur Deificata ab Athanasio, uncta divinitate à Naz. humanitas divina ab Aug. corpus divinum à Cyrillo. Quia ergo caro verè est deificata, verè quoq; particeps facta est divinae naturae, cum deificatio nihil sit aliud quàm Deitatis participatio. Vicissim quia DEUS re ipsa factus est homo, hinc verè ac realiter factus est carnis particeps, adeoq; datur in Christo naturarum mutua vera ac realis κοινωνία.

6. à com-
municati-
one idio-
matum.
XVII. Quia propria λόγῳ & carnis sunt communia ut in subsequituris demonstrabitur congressibus utiq; & inter naturas erit quaedam κοινωνία mutua, cum quia natura & propria semper coherent, tum quia idiomatum cōmunio necessariò presupponit cōmunionē naturarum ipsis antagonistis consitentibus.

III. Classis
argumen-
torum Pa-
trum testi-
monia re-
censens.
XVIII. Succinit Fidei analogie tota orthodoxa & veneranda antiquitas, cujus quae fuerit sententia ad retundendam haereticorum importunitatem, paucula saltem illius testimonia promam, quae omnia cōm-
mode in sex distinctos distribui possunt ordines.

In S. nativ.
Orat. I. de
Imag.
Orat. 3.
XIX. 1. B. Patres testantur expresse Deitatem τῷ λόγῳ esse communicatam carni. Ita enim Magnus Basilius Humana domini caro ipsa facta est particeps Deitatis; nec non B. Damascenus: Incarnati filij anima naturae divinae secundum ἑνωσιν κοινωνοῦς ἐγένετο particeps facta est. Idem, Creator se se demisit ut naturam meam cohonestaret, & divinae naturae κοινωνοῦν faceret. XX. 2.

XX. 2. Patres similiter fatentur Deitatem τῆς λό-
 γῆς verè factam esse participem carnis. Sic enim Ca-
 pitulum 5. Concilij Ephesini differit; Verbum
 communicavit similiter ut nos carni & sanguini,
 Nissenus; Quid humiliter in rege totius universita-
 tis, quam venisse in communionem mendicæ nostræ
 naturæ.

Ex c. 2. ad
 Hebr.

1. Concio-
 ne de Bea-
 tit.

XXI. 3. Patres unanimi statuunt consensu car-
 nem Christi verè esse Deificatam. Diserte id testatur
 Athanasius; cum Deus erat assumpsit carnem & in
 carne existens deificat eam. Consonat Georgius
 Naz. qui ita refert; Christus ex duobus contrariis
 constat, carne & spiritu, quorum alterum deificat
 alterum deificatum est.

Serm. 4.
 contra A-
 rianos.
 Serm. in
 Theophrasto.

XXII. 4. Patres non pauci testificantur carnem
 assumptam esse ipsum DEUM. Athanas. Ille ipse Deus
 factus est caro, ut ipsius caro efficeretur Deus, verbum.
 August. Talis erat illa susceptio, quod DEUM Homi-
 nem faceret & hominem DEUM.

De natura
 humana.
 l. 1. de Tri-
 nit. c. ult.

XXIII. 5. Patres assumptam carnem vocant or-
 ganon λόγῆς, per quod & in quo efficaciter operetur.
 Athanas. Humana natura Deificata est facta or-
 ganon sapientie, ut illa per eam suam energiam e-
 xerceret. Cyrill. Paulatim natura nostra manife-
 stabatur, sic ut instrumentum esset Deitatis, quod
 habitavit in ipsa.

Orat. 4. cō-
 tra Aria-
 nos. l. 10.
 Thesauri
 c. 7.

XXIV. 6. Patres quidam ut realem naturarum
 communicationem docerent ipsum mixtionis vo-
 cabulum adhibuerunt. Nazian. Quid cadere ma-
 jus

Orat. 5. de
 Filio.

In Dialog. 2. Theodoro-
reni. *ius in humilitatem hominis posset quam ut DEO co-
puletur & ex mixtione DEUS fiat. Hilarius, DEUS
incarnatus esse dicitur & mixtus, nec diminutam
esse ejus essentiam existimandum est.*

XXV. *Quibus ita constitutis jubare meridiano cla-
rius apparet omnes in unum adversarios veram ac
realem non vicia allatantes & lacerantes turpissi-
me Sacrosancta Fidei principia destruere, salutis fun-
damina evertere & veneranda antiquitati plenis
buccis contradicere.*

CAP. III. XXVI. *Hactenus veram & orthodoxam Ecclesie
In quo ad nostrae posuimus sententiam, restat ut indagemus
objectio- quomodo ea vim & malleos oppugnantium sustinere
nes adver- & superare potis sit.*
sariorum
perspicue

XXVII. *Tumultuantur hoc loco 1. Esauitæ
Busæus præcipue. 4. cum primis rationibus. 1. Si na-
tura divina realiter communicata est carni,
In Apalog. planè sequitur & 3. personas Trinitatis eidem
c. 4. p. 43. communicatas ac proinde incarnatas esse.
I. Objectio. Quia natura divina est una numero & singula-
ris, non verbi DEI propria sed communis tri-
bus personis.*

Responso. XXVIII. *Sed si Esauita cornua ad ventelandum
conatur hic immittere, evertit eodem impetu more
Nestoriano ipsam unionem hypostaticam. Ratione
enim parili colligo: Aut divina natura carni Christi
unita est, aut non. Si illud, sequitur omnes tres per-
sonas juxta collectionem Esauiticam esse unitas, quod
cum prodigiosè absurdum impium & blasphemum
sit.*

fit, auctori strenæ loco blasphemiam suam horrendam remittimus. Et ad rem. Confundit uno verbo Esauita divinam naturam ἀπλῶς vel absolute prout communis est omnibus personis in Trinitate, & ἑξελκῶς vel relate & determinate acceptam quatenus ad hanc, illam personam per characterem hypostaticum restricta est. Hic autem sumitur Deitas non in communi, seu in persona; Deitas videlicet genita & carni communicata. Hinc 4. termini in Argumento.

XXIX. 2. Christus homo (quæ vox in concreto in- 2. Objectio. dicat personam) verè & realiter dicitur filius Dei, quia Filius DEI verè & realiter homini Christo suam personam communicavit. Si igitur & humanitati in abstracto verè & realiter suam communicavit Deitatem. Cur non humanitas quoq; dicatur divinitas? vel si id nolint Deus aut Dea quedam. In Apol f. 49.

XXX. Verum quò blasphemiarum proriperis Vene- Responsio. rabilis (si Deabus tuis placet) Pater Busæe. Absis, Absis hisce execrandi tuis conuitijs, à magno hoc pietatis mysterio. Absis & Theastros cum infernalibus Deabus tuis tibi remissa habeto. Certè si λόγος & quia factus est caro, vere est caro, cur non vice versa caro quia facta est DEUS verè diceretur Deus, non tamen, ut tu vis per Eutychiānam σύγχυσιν sed per ἑνωσιν ἑνωσιν ἐνωσιν; non prædicatione essentiali, sed inusitata & personali. Cesses præterea prædicationes synonymicas cum paronymicis confundere, & res in proclivi erit. Ferrum non ignis sed ignitum, corpus non anima sed animatum, Sic Christi caro non dici-

ca-
LLS
am

la-
ac
si-
in-
nis

sic
us
ere

tæ
la-
ni,
m
le.
a-
ri-

m
re
ne
sti
r-
od
m
it,

tur ὡς αὐτὸς vel omnipotentia, sed ὡς αὐτὸς ἔ
omnipotens: pari modo eadem caro non tam DEUS
quam deificata nominatur usitatius.

Obiectio. 3. XXXI. Si humanitas Christi ratione personalis u-
nionis vel communis naturarum recte dicitur omni-
potens, omnisciens Deus, cur non ἔ omnipotentia ἔ
Deitas cum hac quoq; in abstracto humanitati sint
realiter communicata: Ibid p. 66.

Responsio. XXXII. Confundit Esauita pessimè attributi-
onem Deitatis, quæ quidem eadem carni ἔ λόγῳ
competit, sed diversimodè. τὸ λόγῳ enim per natu-
ram, carni per unionis gratiam, adeoq; hæc quoq; col-
lectio gerris vanior est siculis.

Obiectio. 4 XXXIII. Si divinitas humanitati communicari
potuisset, aut communicata ei esset essentialiter, aut
formaliter, aut habitualiter, aut subjective, aut ex-
trinsecus, aut virtualiter aut μετὰ φύσιν. Nul-
lus enim alius videtur super esse prædicandi modus.
At nulla harum communicationum in Deitatem ca-
dere potest, Non igitur realiter potuit communicari
Ibid. p. 67.

Responsio. XXXVI. Verum fallit ἔ fallitur Pater Busæus
sophismate in sufficientis modorum enumerationis.
Concesso enim in natura ἔ abbi non inveniri simile
communione exemplum, an propterea illa neganda ἔ
μυστήριον ἐστὶ, μέγα μυστήριον ἐστὶ, ὁμολογούμενος
μέγα τῆς εὐσεβείας μυστήριον ἐστὶ dicente Apostolo.
Si ergo exemplum quaeris non erit singulare. Non er-
go hic immittendus animus ad curiosè inquirendum,

sed

1. Tim. 3, 16.
Aug.

sed demittendus ad studiosè venerandum. Citius quippe potest in se confidens humana sapientiâ inquirendo impingere, quam innittendo petram hanc evellere, uti Anselmus non minus scire quàm verè differrit.

XXXV. Porro curiositas quoq; Sacramentaria orthodoxiæ obstrepit. Ita enim Sadeel. Vocabulum $\kappa\omicron\iota\upsilon\omega\nu\iota\alpha\varsigma$ planè ἀρεσθον, & ex lacunis Scholasticorum haustum. Ergo ab illo abstinendum.

XXXVI. Verùm turpiter principium petit Calvinicola. Probet plane esse ἀρεσθον cùm quoad literam, tum quoad sensum. Etsi enim vocabulum $\kappa\omicron\iota\upsilon\omega\nu\iota\alpha\varsigma$ non extet sufficit tamen rem & διανοια reperiiri. Multa enim, teste Nazianzeno sunt in Scripturis quæ non dicuntur. Falsum deinde est ex scholasticorum lacunis terminum $\kappa\omicron\iota\upsilon\omega\nu\iota\alpha\varsigma$ esse desumptum. Ecclesiasticus enim est non scholasticus, uti ex superioribus antiquitatis patefcit testimonijs. Falsum deniq; est omnia scholasticorum esse reijcienda.

XXXVII. Alias ratiunculas quæ sub curioso & furioso capitis calvinistici latitant liripipio, ad ipsum exercitationis cursum reijciuntur. Charta enim angustia ad alia nos provocat.

XXXVIII. Ex dictis igitur adversantium argutijs liquet, eos ob identitatem cum sermonis tum erroris ad Samosatensianam heresin quàm proximè accedere. Ut enim Samosatensiani, sic ipsi naturas expresse dicunt incommunicabiles, & ut Samosatensiani duarum in Christo naturarum unionem aperte

Obiectio s.

Responsio.

C A P. IV.

An Jesuitæ & Calviniani negantes realem naturarum

$\kappa\omicron\iota\upsilon\omega\nu\iota\alpha\varsigma$ nega-
pro.

pterea sint
Samosate-
niani.

negarunt: sic ipsi eandem per negationem vere $\kappa\omicron\iota\upsilon\omega\nu\iota\alpha\varsigma$ enervant dubiamque reddunt. Aut ergo agnoscant tandem nobiscum veram subsistentiam & naturarum $\kappa\omicron\iota\omega\omega\nu\iota\alpha\varsigma$, aut fateantur sibi merito errorem Samosatenicum de negata unione hypostatica obijci, cum unum firmiter consequatur ex alio.

CAP. V. XXXIX. Ceterum hic probe observandum 1. unionem personalem & communionem naturarum simpliciter unum idemque non esse, sed certis respectibus modisque differre. Differunt enim 1. ordine, quo unio antecedit communionem, 2. naturarum habitudine. In unione quippe habent se nature magis passive, in communionem magis active. Ibi enim dicimus duas naturas uniri, hic dicuntur invicem communicare.

XL. 2. Notandum communionem naturarum unionis personalis formam esse & non esse diverso respectu, non quidem logicam, quoniam nature non ununtur vel personam unam constituunt quatenus participant; sed metaphysicam, quatenus ad perfectam descriptionem modi, quo unio illa facta est, necessario refertur.

XLI. 3. Animadvertendum, Communionem naturarum diverso respectu unionis personalis consequens esse & non esse. Esse, si unio sumatur formaliter & precise pro solo naturarum concursu ad unum $\acute{\upsilon}\phi\iota\sigma\tau\iota\mu\omega\nu$ quia iste concursus nature prior est ipsa naturarum $\mu\epsilon\tau\omicron\chi\eta$. Participare enim invicem non possent, nisi prius in una $\acute{\iota}\omega\sigma\tau\iota\sigma\epsilon\iota$ concurrerent. Consequens non est, si unio sumatur pro tota quidditate

tate

rate & omnibus requisitus ad plenam ejus descriptionem pertinentibus. Sic enim communio ingreditur unionis constitutionem, quia refertur ad modi explanationem. Ideoque sicuti modus rei effectum ejus commode dici nequit, ita & de $\kappa\omicron\upsilon\upsilon\omega\upsilon\iota\omicron\varsigma$ illa naturarum respectu unionis statuendum est.

XLII. Enascitur ex dictis questio an non tandem aliqua inter nos & adversarios concordia quoad hanc $\kappa\omicron\upsilon\upsilon\omega\upsilon\iota\omicron\varsigma$ controversiam iniri possit? Ubi reperiuntur bene multi, qui simpliciter negativam tuerantur, aliqui qui affirmativam defensitant.

CAP. VI.

An non tandem aliqua inter nos & adversarios concordia

iniri possit, quoad hanc controversiam.

De nostra confessione.

Dicta Calvinianorum.

Dicta Jesuitarum.

XLIII. Diffiteri hic non possum utriusque factionis adversarios expresse sateri se nobiscum consentire per omnia Videantur Heidelbergenses in *aussführlichen Berichte* c. 1. p. 10. p. 150. 151. Treleatius junior l. 2. Instit. loco 4. p. 73. & p. 78. Greg. de Valentia tom. 4. disp. 1. quest. 2. Bus. in Apol. c. 4. p. 44. p. 52, 69, 78, 80, 82, & 83.

XLIV. Verum utinam non aliud lingua promptum, aliud animo gererent reconditum! Si enim nostrae subscribunt sententiae cur hypotheses communionem tollentes astruunt & defendunt? cur unionem non per $\omega\epsilon\iota\chi\omega\pi\eta\sigma\iota\upsilon$, sed per solam $\omega\delta\gamma\acute{\alpha}\sigma\iota\omega\iota\upsilon$ $\lambda\acute{o}\gamma\omicron\varsigma$ & sustentationem carnis describunt? cur non pauci illorum veram communicationem $\omega\pi\omicron\sigma\tau\acute{\iota}\sigma\tau\omega\varsigma$ divina insiciantur? cur unionem plerumque confundunt? cur communionem veram simpliciter negant, cur multi illorum communionem exponunt de sola nullaque concomitantia? cur predicationes personales suis

suis glossematibus penitus pervertunt? cur idioti-
 a qua immediate fluit ex $\kappa\omicron\upsilon\omega\upsilon\iota\alpha$ per Zvvin-
 gly $\alpha\delta\delta\alpha\iota\omega\omicron\upsilon$ enervant? cur denique Eutychianismi
 nos præter jus & fas accusare non erubescunt, cum
 talem confusionem ipsimet respuamus & asperne-
 mur.

XLV. Corrigant proinde linguam & mentem
 Antagonistæ nostri, & nuncium consignatis mittant
 absurditatibus. Id si fecerint candidè, perspicuè, sine
 dolo & furo, tum Christianus & stabilis in hac qui-
 dem controversia consensus cum vis poterit iniri. Se-
 cus si fiat, & absurdissimis istis hypothesis valedice-
 re si nolint? valeat illorum personatus consensus, va-
 leat talis concordia qua conscientie constringuntur,
 fideiq; articuli destruuntur. Longè etenim melior te-
 ste Bernhardo ea est discordia qua nos DEO jungit
 quam pax qua nos ab eodem separat.

XLVI. Et hæc brevitate gratæ quam Cynosura ad
 instar unice observare debemus de vera duarum in
 Christo naturarum $\kappa\omicron\upsilon\omega\upsilon\iota\alpha$ $\omega\varsigma$ $\epsilon\upsilon$ $\tau\upsilon$ $\omega\omega$ deline-
 asse sufficiat. Coronidis tandem loco abducamus ani-
 mos à discursu, & communionis naturarum usum
 paulo rimemur altius.

CAP. VII.
 Tergemi-
 nam medi-
 ationem
 practicam
 proponēs.
 Amoris
 divini.

XLVII. Aperit se hic abyssus divini amoris profun-
 dissima. Ecce enim, ô Homo, ut se æternus $\lambda\omicron\gamma\theta$
 verus Deus ex mera gratiâ in genus hominum humi-
 liat? ut se totum cum omni plenitudine carni nostræ
 communicat? Quid es ô homo? Ante ortum sperma
 fetidum.

fætidum, post eum saccus stercorum, in occasu cibus
vermium, imò naturâ filius iræ per peccatum; Deus
tamen per ineffabilem suam bonitatem in gratiam
redit cum perditâ & depressâ natura tua, & suæ il-
lam nature facit participem. O rem omni prædica-
tione sublimiorem! O inexhausta misericordie divi-
næ viscera! Exulta ob id & júbila, pie Christicola.
Hæc *κωνωία* tua sit turris firmissima in adversita-
tibus, ancora solidissima in tentationibus, petra cer-
tissima in mortis etiam agonibus. Ita enim licet pec-
cato à DEO tuo divulsus fueris; redderis tamen illi
conjunctissimus, & suo etiam modo divinæ *κωνωίας*
nature. O terq; quaterq; beatos qui in gloriosum hoc-
ce divinæ communionis evehuntur consortium!

XLIIIX. Ob oculos 2. nobis ponit signum Honoris 2. Nostri
nostri evidentissimum. Ecquæ enim dignitas nobis ^{honoris.}
major potuisset contingere, quàm quæ per veram
Deitatis communionem nostræ contigit nature? Sub-
limis quidem honor est fateor collocari apud Princi-
pes: magnus quod Pharaosuum Iosepho communi-
cavit annulum; major quod Rex Ahasverus conte-
tam Famulam Estheram in regium recepit thalamum. ^{Esth. 2, 16.}
Sed cedant isthæc nostro honori singula. Rex enim
Regum æternus DEI filius carnem nostram, carnem
terream & mortalem in intimum suæ nature reci-
pit consortium, omnemq; divinam majestatem illi
pariter communem fecit. O dignitatem incompara-
bilem, ô gloriam ineffabilem! Hisce letare, hisce te
erige,


Psal. 113, 8.
Genes. 41.

erige, ô generose Mikrokosme, & licet à mundo ridearis, à malo affligaris, à Satana tribuleris, tamen in hoc triumphas, quod caro tua sit consors divinitatis & longè super angelicam elata gloriam.

3. Hæreticorum mores.

XLIX. Suggestit tandem hæc meditatio nobis virum moris hæretici exemplum, qui teste Ireneo inter cætera in hoc consistit, ut ὁμοία μὲν λαγῶσι, ἀνόμοια δὲ Φροῦσι. Et perinde ut venator, quo feras commodius valeat decipere pellem induit ferinam, sic Hæretici, cum primis Sacramentarij & Romanenses (utiliquet ex superiorib.) ovincæ se involvunt, ut ita facilius simplices oviculas in fraudem queant impellere. In illorum enim ore mel, in corde fel; in dictis laus, in factis fraus; amicitias expetunt, insidias fabricant. O igitur extreme versutos pessimosq; Homines! Hæc nunquam non perpende ô grex Christi pusillule, vigila & cave ab illorum versutia, fuge ceu cane pejus & angue blandiloqua illorum consortia, imis & devotis illud Iohanniticum ingemiscens Suspirijs; Conserva me Domine in veritate, verbum tuum est Veritas.

Joh. 17.
 Conclusio. L. Atq; hæc hac vice de vera naturarum in Christo duarum κοινωvία sobriè & piè placuit differere; sicq; optatum portum firma rate attigimus, Amoris nostri oceano recens nato Iesulo sit laus, & gloria ejus inter nos vivat & vigeat æterna Amen.



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.



OGIAS SACRÆ
o Undecima
De
M NATU-
CHRISTO VE-
EALI COM-
NIONE.
quam
Θεανδρώπω
RÆSIDIO
RIS MEISNERI
l. D. & P. P.
egio examinandam
proponit
BERTUS Steinmüller
Vindelicus.
4. Januarij horis pome-
uditorio minori.
EBERGÆ
hannis Gormanni,
O IOC XIX.

